Epiſtolaris Commercii M. BERNEGGERI

Cum Viris Eruditione Claris,

Faſciculus Secundus.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOSIÆ STÆDELII.

M. DC. LXX.



Epiſtolaris Commercii M. BERNEGGERI

Cum Viris Eruditione Claris,

Faſciculus Secundus.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOSIÆ STÆDELII.

M. DC. LXX.



Epiſtolaris Commercii M. BERNEGGERI

Cum Viris Eruditione Claris,

Faſciculus Secundus.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOSIÆ STÆDELII.

M. DC. LXX.



Epiſtolaris Commercii M. BERNEGGERI

Cum Viris Eruditione Claris,

Faſciculus Secundus.



ARGENTORATI,
Sumptibus JOSIÆ STÆDELII.

M. DC. LXX.

S. BENEUOLE LECTOR,

NUper *Epistolaris Commercii* M. Berneggeri *cum Viris Literatis fasciculum primum, ad captandam de stomacho tuo coniecturā præmisi, nunc cum Te non fastidiosè nimis hoc scriptionis genus aspernari videam, alterum hunc submitto. Vale & de Tuis studiis etiam deinceps bene mereri percupienti faue.*

Editor.



BERNEGGERVS SALMASIO.



IR maxime, Salue plurimum ab homine ignoto quidem tibi: ſed qui jam ab aliquot annis alumnus doctrinæ tuæ, te vel neſcium appello quotidie. Ac ne nunc quidem forte ſuſtinuiſſem aperire me tibi, niſi, quemadmodum *Lingelshemius* apud *Grotium*, ita Grotius apud te conciliatorem, & quendam vel-

ut admiſſionalem ſe mihi præſtitiſſet. quo hortante, renitente licet pudore meo, tacitamque potius ſuadente reuerentiam, audeo ſane nunc ad te literas, forſan deinceps etiam auſurus, operamque daturus enixiſſime, ne tibi pudendus aut pœnitendus ſalutator videri queam; præcipuè ſi fauorem & gratiam tuam quomodocunq; promerendi occaſionem ipſe mihi dignatus fueris oſtendere. Jam pridem ſcripſit ad me *Grotius* ὁ πάμμεγας eſſe tibi prope confectum Commentarium in Eliberinos canonas, quem certis de cauſis peregre ablegare conſtitueris edendum. Ea in editione apud noſtros typographos procuranda ſi uſui eſſe tibi poterit opella mea, lubentiſſimam diligentiſſimamq;

præ-

præſtiturum recipio. Rogatus ſum ut in gratiam Academicæ noſtræ Juuentutis, Flori nouam editionem adornarem, quod meditanti mihi, publici librorum indices oſtenderunt, Notas tuas in illum authorem, jamdum anno 1605. à Comelino publicatas, quarum nullum vſpiam exemplum, ne quidem apud D. *Lingelshemium*, qui tamen habet pleraq; tua; plurimique ut par eſt, æſtimat, hactenus inuenire potui. Beares profectò me, publicoque bono, cui natus es, commodares, ſi, quod reuerenter oro, mihi faceres exemplaris vnius, modò ſuperſit, copiam. Id enim edendum denuo curare eſt animus, & forte de meo quoque nonnihil adjicere: non in ingenii curæue compa-

 ratio,

rationem (quid enim ad opes Cræsi teruntius?) sed potius ut occasio sit, quæ mea sit in te, summum & incomparabilem Reipubl. Lit. antistitem, obseruantia, publicè testandi. Vale, & vti doctrinæ hactenus, ita posthac beneuolentiæ me tuæ participem redde. S. Arg. d. 10. Martii Anno Chr. 1629.

Postscriptum.

Quod olim D. *Gothofredo*, hospiti meo desideratissimo, quẽ tu doctorem tuum, in illis *diuinis* ad Historiam Augustam Notis laudare dignatus es, exaraui programma funebre, parum quidem & viro illo & conspectu lectuue tuo dignum vel ideo tamen vnà mittendum duxi, quod sperarem,

veteris amici memoriam, quo te primum monstrante, admirari cœpi, non injucundam esse futuram.

Salmasius BERNEGGERO.

GRatissimas mihi tuas fuisse litteras, vir eruditissime, quæ tam propensum & beneuolum erga me, nullo merito meo, animum testentur, non possum quin ipse vicissim tester. Nec ab homine vt reris ignoto venerunt, quippe quem pridem ex nostri *Grotij* sermone optime cognoram: Sed & clarum mihi fecerunt indicium litteræ tuæ qualis esses & quantæ doctrinæ. De opera vero quam polliceris in procuranda apud vestros Typographos editione commentarii nostri in E-

liberinos Canones, non gratiam quidem facio, ſed gratias ago ingentes, paratus & ipſe contra, quacunque in re potero vicem reddere, ſi quando vſus venerit vt hic apud nos poſſim tibi vtilis reperiri, diu quidem eſt cum labor ille apud me aut æquiora tempora aut locum magis accommodum libertati ſcribendi quærit & expectat. curis interim aliis diſtracto non licuit ſerio de eo negotio cogitare, quibus nondum ad plenum ſum expeditus. Tertius ſupereſt edendus tomus, quem duobus prioribus adjungere paro, quo examen nobiliorum ſimplicium medicamentorum & omnium fere aromatum, quibus antiquitas vſa eſt, continetur, cum innumeris Plinii erroribus & noſtrorum

ſtrorum Herbariorum ac Medicorum qui ibi euentilantur. Omnia ſunt confecta & volumen ad vmbilicum perductum, ſed hæret editio in vna re quod Typorum Arabicorum laboramus hic inopia, ſine quibus editionem exire nollem, quæ multa habere debet Arabice concepta ex Auicenna & aliis, quæ neceſſario verbis Arabum exprimi oporteret, vt pleriſque nominibus ſua conſtet integritas, quæ vulgo in ſcriptis Neotericorum Medicorum deprauatiſſima ſunt. Nos tamen δεύτερον πλοῦν ſequemur, ſi melius non poterimus, & Hebraicis litteris vt multos video feciſſe, quos ſimilis coegit neceſſitas, ſcribemus Arabica. De Floro vellem, vt velles, & meum protinus exemplar mi-

fiſſem ; ſed notæ illæ quas penè puer in Germania olim veſtra extruſi in lucem , nihil niſi puerile ſapiunt & infinitis præterea mendis ſcatent Typographicis. Eas recognoſcere & multis locis facere meliores diu eſt cum in animo habeo, nec tamen hactenus mihi efficere licitum eſt quod volui. Hoc faciam quamprimum potero & ad te mittam.Optimum & vetuſtiſſimum illud fuit Exemplar Palatinæ olim Bibliothecæ Nazarianum quo vſus ſum in Floro recenſendo & ejus opera innumeras ex eo authore mendas ſuſtuliſſe memini. Verum vt dixi editio illa contaminatiſſima eſt Typographorum erroribus , ac neſcio an cuiquam poſſit vſui eſſe, vt eſt adornata. Habebis cum

hac duo exemplaria Plinianarum mearum Exercitationum, vnum tibi, alterum Amplissimo *Lingelshemio* destinatum, cujus viri omnia prestantissimi humanitatem & beneuolentiam eam olim sum expertus cum Heidelbergæ studerem, vt nihil non ei debeam, quē & meo nomine si placet salutabis. Vale & me tui amantissimum amare perge. Lutetiæ Parisiorum X. Kal. Junias. cIↃ IↃc XXVIIII.

Alb. Sebisius, M. BERNEGGERO.

S. P. D.

INter has quæ me circumsistunt turbas, vix tria hæc verba ad Te scribere potui, ignosce: tantillo tempore beneficiorum Tuorum non vsque adeo oblitus sum, sed

valetudo Principis me mei tenuit & tenet, quæ vt primum (id quod propediem ſperamus) vel pauxillum remiſerit, officii mei & Juſtiſtini Tui prolixius memor ero, interim pauculis hiſce obſeruantiam meam teſtari collibuit. Ad *Grotium* adire nondum potui, fruar tamen breui, Te parario, tantæ humanitatis viro. De nouis nihil habeo, & quis in hac rerum incertitudine auſit aliquid affirmare? arma tamen ajunt poſt ſolutam Cazalii obſidionem in Italia ceſſare, ſed vix bona fide, res & exitus docebunt. Vale vir clariſſime & conſtanter faue. Lutetiæ IV. Kal. Januar. cIɔ Iɔc XXXI.

Berneggerus SEBISIO.
S.P.D.

NObilissime vir. Exigua quidem, at non exiguæ mihi voluptati fuit Epistola tua, quæ tuæ in me beneuolentiæ, quamuis mihi nunquam dubię, fidem ampliorem fecit. Ea namque demum vera beneuolentia est quæ durat etiam absentibus: non, quod solet, migrantium animis emigrat. Ego me dignum illa præstare conabor: in hoc saltem officio epistolico, quod primus exordiri dignatus fuisti, non cedam: præsertim si breui esse licet, vt licet, exemplo tuo: Justinus noster valde lento gradu procedit, cum ob scholasticas, leues quidem illas, sed multas tamen occupatiuncu-

 las:

las: tum imprimis ob præſentiam Anglici Comitis, cui aliquot horas diei ſoleo tribuere. Diſcedet paucis poſt ſeptimanis pergratus & jucundus mihi hoſpes: conuictoribus tamen meis non æque, cum ipſius reſpectu frontem adductiorem induere neceſſe ſit, vt nunc hilaritatem tuam, licet ad rigidi Catonis alicuius leges minus exactam, quodammodo deſiderare videantur. Quicquid interea ad Juſtinum, ad alios obſeruatum tibi, quæſo fac habeam, nec dubita, homini grato, & per quem profecerit, publicè prædicaturo, te daturum quæ dederis. V. 14. Jan. 1631.

Sebisius BERNEGGERO.
S. P. D.

EPiſtolam Tuam plenam adfe-ctus in me vidi, & exoſculatus ſum; à Te tanto Viro tantisque negotiis diſtracto, tantum ſperare non poteram: ut nugæ noſtræ à Te vel legerentur, votorum ſumma erat, Tu reſcribis etiam, & tam calide reſcribis? Agnoſco humanitatem Tuam, qua jam ante multis nominibus Tibi addictiſſimum, magis magisque cottidiè is obſtrictum: dignum me ea hactenus præſtare nondum potui, & vereor, vt in poſterum poſſim, ita Muſæ noſtræ hic frigent. De Juſtino certe in iſta librorum inopia nihil promittere auſim; & Principis veletudo ab iſtis curis hucuſq;

plane

plane me abstinuit: vbi paulo illa firmior, (quod DEUS breui, vt spero, dabit) quidquid potero dabo effectum; Tu propediem videbis, animumque in eo magis in Te propensum, quam ingenium laudabis. In Galliis si catenatæ istæ turbæ, quæ Silesiæ iterum imminere videntur, & ille qui nostratium negligentia fortis sibi videtur, siuerint, aliquot adhuc annos commorabimur. Magno mihi in hac nostra disiunctione solatio erit, si saltem propius à Te me sciam abesse. Vale Vir Clarissime publico litterarum bono, & quod soles, faue. Scr. Lutetiæ VII.KL.Mart. cIↃ IↃc XXXI.

Sebi-

Sebisius BERNEGGERO.

S. P. D.

EGo vero ad *Grotium* tandem adii: moram Amplissimo *Lingelshemio* valetudine Principis mei excusabis. Tibi desidia mea notior est, quam ut excusari possit. Ipse mihi succenseo, quod mea ferè culpa hucusq; caruerim consuetudine Humanissimi viri, qui prolixo in me officio omnia Te apud illum posse satis testatum fecit, bibliothecam etiam obtulit, quod beneficium eo cupidius sum amplexus, quod inde spes esset, me quod ad Justinum Tuum promisi, aliquando fore exsoluendo. Supra votum mihi reditus ex Borussia *Robertini* nostri, quem stipulor sua quoq; impigre hac in re collaturum.

Galliæ

Galliæ ſtatus nimium nuper vacillare videbatur : Ducis Aureliani diſceſſus & Reginæ matris detentio quid niſi funeſtum regno incendium minitabantur ? plurimi procerum inſimulati, quidam capti, Aula & Vrbs triſti ſilentio defixa, latentioris mali indicium erant, ſed iſtud fulmen ſine damno fere deſæuiit. Aurelianenſis Ducatus regimen Caſtellionio ceſſit ; Ille cum Elbouii Duce & Belligardio inermis & lingua tantum ferox in Burgundiæ Comitatu deſidet, breuique rebus omnibus deſtitutus ad officium rediturus videtur. V. Vir Clariſſime. Scr. Lutetiæ VII. Eid. April. cIↄ Iↄc XXXI.

Berneg-

Bernggerus LINGELSHEMIO.

VIr Amplissime, suspiciende Patrone. Heri sub quintam vespertinam *Catharina Hattenia*, vxoris meæ soror, epidemio morbo, & matrimonii & æui infelicis ærumnis est erepta, cui cum vxor integrum triduum atque adeo trinoctium adfuerit, & ita domum meam feralem quodammodo fecerit, absenti exsequendum est valedictionis officium, quod præsens alioqui malueram. Itaque cum de beneficiis infinitis toto hoc exilii tempore nec merenti præstitis ingentes gratias ago, perpetuas habiturus, tum & jam de riditu patrios ad lares exoptatissimo, toto pectore gratulor. Deum vene-

generatus vt te, patrone opt. max. vt vxorem lectiſſimam, dulciſſimosque liberos, cum vniuerſo Palatinorum Comitatu ſaluos & incolumes Patrię reſtituat, ac ſemper inpoſterum omni maximarum benedictionum genere largiſſime cumulatos florentesque præſtet. Cætera per litteras, quarum ad te ſubinde ſcribendarum vt mihi poteſtatem facias, meque porro paterna vt hactenus beneuolentia complectaris, obſeruantiſſime rogo. 22. Julii 1633.

G. Michael Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIr Clariſſime, animæ dimidium meæ. Salui huc peruenimus, nec hoſtis nec prædo nobis

bis visus, tamen ambagibus vtendum fuit, Rhenum infestantibus Vdenemianis. Domi meæ supra votum repperi sic satis commoda & integriora quam putabam, neque tam deformata vrbs, quam mihi persuaserant sermones nostrorum. DEO Laus & gloria sit, qui nos domum reduxit saluos nullo incursu territos. De Academia restabilienda nulla adhuc cogitatio, adeo egestas publica premit, & quod superest exhauritur in militem. Gener meus *Spina* fratris sui nuptiis jam vacat Francofurti, in ejus domum deverti, dum mea repurgaretur nonnihil. heri immigraui cum comitatu. multa nobis desunt, quamvis exiguo contentis. Collegam vnicum habeo in Senatu, æquales

mei omnes abierunt, restat *Meverus Samuel*, tuus discipulus, qui in nos perofficiosus. Discupio cognoscere, de Tua tuorumq; valetudine, ne forte quid labis ex nupero luctu ad vos pertigerit. DEUS vos seruet & protegat. De publicis nihil habeo memorandi. *Vdenheimenses* nudius tertius eruptione facta, castellum occuparunt, sed cum clade denuo ejecti. Obsidentibus deest miles satis numerosus, aliaq, multa, sed & premit penuria obsessos. Vale decus meum, ter interruperunt scriptionem compellatores. Saluete omnes à meis omnibus. Heidelb. pr. Kal. Aug. 1633.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr Amplissime, suspiciende patrone. Quamuis ingens absentis tui desiderium alia ratione vix solari queam, nisi litterarum alloquio, quarum sese materia satis benigne præbet: silendum tamen, hoc est non tam mei quam tui rationem habendam putassem, qui muneris repetiti principio pluribus atque grauioribus occuparis negotiis, quam vt friuolis nostris vacare queas; nisi & D. *Zvvingerus*, Theologus Basiliensis, orasset, vt inclusas ad vos curarem: & præterea D. *Verbezius* Medicus, à me, quem nonnihil apud te posse, nescio vnde, cognovit, heri contendisset, exorarem te

te ſuffragatorem in impetranda profeſſione Medica. De qua qui coram ſermones noſtri fuerint, adhuc probe memini. Nolim ego quenquam cuiquam commendare, niſi cum lege, ſi mereri videbitur. An ille mereatur, aliunde noritis oportet: ego mihi judicium non ſumo. Acutum eſſe diſputatorem ajunt. ſi locus ei nullus iſthic futurus videatur, ſpem omnem ſemel præcidi, rectius forte fuerit, id quod tribus ad me verbis per filiorum quempiam expediri poteſt. nolim enim credas, ipſi tibi ad nugaces haſce reſpondendi neceſſitatem impoſitam. In hoc ipſo temporis articulo *Galilæi* Syſtema Copernicanum accipio. Magnam ſpeciem, & quod nolim, grandiuſculam mo-
lem

molem liber habet, cujus versio mihi subcisiuas per insequentem hiemem horas omnes absumet. Optarim allatum adhuc præsente te, ut subinde possem ἀπρεκίστατον illud μαντῆιον de locis dubiis consulere. *Lucius* tuæ se beneuolentiæ maximopere commendat idemq; & *Freinshemius*, & ego meique vos omnes officiosissime reuerentissimeque salutamus. Vale, mi Pater, Calend. Aug. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

CAndidissime amicorum. Caue putes verendum vt scriptiones tuæ, meas occupationes turbent, quin ego jam dudum tuas

ſcriptiones prouocaui, quum tibi aduentum ad lares meos ſignificaui. Doct. *Verbezio* hic locus futurus non eſt, quantum intelligo ex iis, quorum arbitrii res eſt, quod ſatiùs judico ei indicandum, quam vt incertus in ſuſpenſo teneatur.

Gratulor tibi de *Galilæo* adepto, vtinam & mihi inſpectio libri permitteretur. Vide audaciam meam. Audeo abs te petere, vt per amicum aut notum huc proficiſcentem rhedâ librum illum commendes ad me deferendum, ego ſpondeo, me integrum tibi reſtituturum, prima oblata occaſione, poſt recognitum librum. Imputa hoc bonitati tuæ, quod impudens hoc poſtulatum ad te deſero. Noſti morbum meum, impatientes

tienter expetendi talia. Terrorem qui vobis injectus per fugam equitatus *Birckenfeldici*, ademit vobis subito nuncius de victoria insigni, quam vobis gratulamur animitùs. quid porrò supersit spei Hagenoensibus? *Vdenhemium* magno nos adhuc mactat malo. ductores militum sua compendia præferunt officio. De Academia locutus sum cum genero meo *Spina*, is queritur penitus exhaustum fiscum, neque dum ullos prouentus post ditionem recuperatam, receptos. itaque nihil est ex quo salaria præstentur. Messis ac vindemima viam aperient, sed & reliqui reditus affluent mox. Benè speremus, Ego certe non quiesco, donec te frui possim. Vale decus meum, cum tuis. Responsum ad

iteras Basileenses quas mihi misi-
ti, inclusi literis ad *Brederodium*.
Salueant amici, *Lucius* & *Freins-
hemius* aliique. 9. Aug. 1633.

Berneggerus LINGELS-HEMIO.

AMplissime Vir, optime mi patrone. Litteras tuas, *Glaseri* nostri ministro reddente, nuper accepi, summopere quidem illas jucundas sed valde interim inexpectatas. Nec enim audebam sperare futurum, vt in ista noua mole grauissimarum occupationum, & eo magnorum virorum quibus scribendum habes numero, clientuli quoq; tui meminisses. Itaque qui & timide nuper scripsi, & posthac multo timidius

dius eram ſcripturus, nunc ſaltem
reſcribere, abſterſo omni pudore,
tanta inuitatus humanitate, ſuſti-
neo. Ac initio Tibi tuisque de
ſaluo ad veſtra reditu ſummoperè
gratulor, ex animo DEUM orans,
vt te porro quam diutiſſime, bo-
no publico cum tuis præſtet inco-
lumem. Ago quoque gratias de
paterna ſollicitudine in inquiren-
do de valitudine mea meorumque
quæ per DEI gratiam bene habet,
& lues quæ paſſim vrbem carpere
non deſinit, nupero luctu conten-
ta non vltra meis nocuit. Affinis
meus ὁ πάμμεγας, poſt tam diu quæ-
ſitas vndique conditiones, inuenit
denique viduam in qua acquie-
ſceret. Eam hodie cum propin-
quiſſimis nonnullis ad prandium
inuitauit, ad quod ego quoque
 condi-

condixi. Nuptiæ breui celebrabuntur. Sed hæc ſcire plurimum veſtra ſcilicet intererat. &c.&c. 11. Aug. 1633.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr ampliſſime, mi Patrone. Cum alteris tuis reſponſurus calamum expedirem, ad me venit D. *Steinbergius* Sileſius JCtus Geneuenſis. Poſt multos ſermones vltro citroque, variis de rebus, de te cumprimis habitos, mandauit ad poſtremum vt te ſuo nomine reuerentiſſimè ſalutarem: exiſtimare enim ſe, ſui memoriam, qui tibi & *Grutero*, ante hos viginti circiter annos, à *Dornauio* commendatus ſit, tibi nondum excidiſſe.

disse. Cum colloquia videretur longius protracturus, quam vt literas statim à prandio ferendas ad *Glaserum* nostrum, scribere vacaret, objeci ei legendas hasce *Schickardi* pagellas, tibi, nisi valde fallor, valde placituras. Interea libuit hæc pauca deproperare. Vtar enim sane, vel fruar potius, incomparabili illa humanitate tua, quâ mihi licentiam nugandi tecum, credo vt maxime seria tua, clientuli gerris interpolares, adeo beneuole concessisti. D. *Verbezio* indicaui responsum tuum: qui subtristis quidem ob spem frustratam, & fortunæ atque religioni (ut ait) subiratus, laudauit tamen candorem vestrum, quod promissis inanibus non diutius lactandum duxistis. *Galilai* Systema

Copernicanum hoc mittam cupidius: & vna ſpecimen translationis meæ, vt exquiram & de iſto, & maximè de hac judicium tuum. Video enim haud paucas difficultates ſuborituras, in quibus expediendis nemo te rectius aut facilius adjuuerit imbecillitatem meam. Niſi tamen in commoda publica peccare eſt, ad hæc talia te vocare. Captabo proximam quamque occaſionem qua liber ad vos eat, vnaque tractatus Angli *Baronis* de veritate, prout diſtinguitur à reuelatione &c. nuper à *Diodato* muneri tibi miſſus. De Academia veſtra minimè dubito, ſi quando eam reſtaurare placuerit, affluentem vndiq; doctorum hominum copiam, difficilem vobis electionem facturam, De mul-
tis

tis *Steinbergius*, inter alios de *Vedelio*, *Gebhardo*, *Schoppio*, maxime verò de *Spanhemio*, quem quia Geneuenſes metuunt abitum meditaturum & Rectoratu nuper Academico, & omni honoris beneficiique genere ſibi deuinciunt. &c. 18. Aug. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIr Clariſſime, amicorum vnio. Ad binas tuas debeo reſponſum ſcriptas 11. & 18. Augusti. Dno. *Steinbergio* quæſo vt ſalutem dicas meo nomine, *Brederodius* quoq; laudes ejus apud me deprædicauit, ejus quoque ratio habebitur. De *Schickardi* Li-

bello gratias tibi habeo maximas, jucunda mihi fuit ejus lectio, sed non fraudandus es, aut amici tui, itaque remitto, paratus subministrare quicquid tibi iucundum esse poterit. *Galilaeum* impatienter expecto, sed & Angli scriptum. Quod nunciem de publicis, memorandum nihil est. Consultationes Francofurti lentè procedunt, vt fieri solet inter tot capita. *Vdenhemium* nobis adhuc facessit negotia, non is feruor in nostris est, qui debebat. *Meuerus* te amice resalutat, memor tuorum in se officiorum. Omnis mea familia te tuosque resalutat animitus. Crebri de te tuisq; inter nos sermones, cum bonis vocis. *Freinshemii Luciiq;* jucunda nobis recordatio. In Academia

vnicus

vnicus adhuc supereſt *Spina*, gener meus, ſedulo id agit vt reſtituatur, ſed tempore opus eſt in inopia omnium rerum & vaſtitate hoſtili. Vale pectus candidiſſimum. Heidelbergæ 26. Aug. 1633.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr Ampliſſime, Patrone Optime maxime. Heri multa veſpera *Galilæum* cum *Diodati* libro curandum *Hauberto* tradidi: commiſſurus eidem eram literas, niſi & ferè totus dies friuolis interpellationibus mihi periiſſet: & hodie *Glasero* noſtro illas tradi, commodius exiſtimaſſem, celerius fortaſſe peruenturas. *Galilæum* non niſi cum opportunum

erit, remitti peto. Facile possum eo carere ad aliquot septimanas, totus enim occupor in Indice *Suetoniano* conficiendo, quo absoluto (id intra mensem futurum spero) alterum illum laborem ex professo suscipiã, in quo præuideo sane remoras ac nodos haud paucos: nonnihil etiam offendit illa morosa, & propria Italis, sed à Mathesi, nisi fallor, ad modum aliena μακρολογία. Verum contentio studii, contemplationisque jucunditas omnia peruincet. Hiems ita transibit, interea seponetur & *Suetonianus* Commentarius, & *Freinshemii* nostri *Curtius*, maxime cum nec typographi nobis copia detur: & vero *Freinshemius* vocatus sit ad Dn. *Marescotum* iuniorem, Senatorem Parla-

Parlamenti noui Metensis, vt ei in tractandis vnà studiis Historicis ac Juridicis, vt & Germanica tradenda lingua, operam præstet. Ita fiet vt hoc interiecto spatio, mitescentibus temporibus, & reuersis interea *Freinshemio*, filioque, communes nostri labores reseruentur ad illum quem sperare me jubes tranquillitatis exoptatissimæ portum. Hæc certe summa votorum meorum est &c. &c. V. 4. Sept. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIr Clarissime. *Hauprechtus* recte mihi reddidit *Galilæum* cum *Herberto*, sed in fasce nihil

uarum literarum reperire potui,
ngentes tibi gratias habeo de hoc
officio. Summo cum desiderio
uoluo *Galilæum*, qui mihi per o-
nnia satisfacit. Sed certe pudet
ne, interupisse tuas in *Galilæum*
curas. remittam omnia, vt pri-
num nactus fuero certam com-
noditatem. *Miegia* quoque no-
ltra cum suis salua huc peruenit.
Academica res nostra erigi non
potest antequam prouentus colli-
gantur, omnes enim fisci & hor-
rea euacuata. Per complures dies
in languore fui & doloribus ex de-
fluxione in humerum sinistrum,
quæ per molesta fuit in manu &
articulis. Lectio *Galilæi* pluri-
mum mihi molestiæ exemit, quod
leuamen tibi vni debeo. Sed &
nata filiola *Maria* meæ, *Hugonis*
Medii

Medici vxori, partu perfacili. Ipse *Hugo* receptus in professorem Medicum opera affinis *Spinæ* mei. Omnes mei commodè valent. tibi, conjugi, filiæ ac omni familiæ felicissima queq; comprecamur. Vides ex inconcinna literarum forma imbecillitatem reliquam. Valere omnes felicissime. Heidelbergæ 12. Sept. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIr Clarissime, frater optatissime. Literæ tuæ 4. Sept. scriptæ, recte mihi, quamuis tarde redditæ, sed diu ante *Galilæus*, quem auidissimè perlegi maxima cum voluptate, ac quamuis verbosi-

bositas mihi quoque molesta esse soleat, tamen illa ipsa facundia placuit, ac pro Dialogorum genio πάρεργα illa etiam suam jucunditatem attulerunt. Macte virtute tua, qui labores non refugis in vtilissimo opere, nostris hominibus communicando. Pensum quod tibi ipsi parasti in hanc hiemem voueo vt iucunde conficias. Interea resumet vires Academia nostra, quam confido fore, vt tua industria & virtute reflorescat. *Frensemio* gratulor consuetudinem *Marescoti* filii & opto vt feliciter vtrique eueniat. Scripsit is ipse quoque ad me, & commercium literarum flagitat. *Glaserus* hac transiens me exhilarauit sua præsentia, sermones nostri interrupti, magnatis cui aderat interventu

ventu, & præcipitato eorum itinere. De *Schmidÿ* JCti caſu haud dubie tibi innotuit quoque, is in prædones incidit tribus abhinc miliaribus, qui veſtem ac nummos ipſi eripuerunt. damnum æſtimant quatuor millibus thalerorum. Exigua ſpes recuperandi, in tam corrupta diſciplina militari, plerisque conniuentibus ad talia facinora. *Opitius* noſter Ftancofurtum aduenit in comitatu Legatorum Sileſiæ, is ſpem facit excurſionis ad me pro mutuo noſtro amore. Poema ſuum miſit, *alloquium in calamitatibus bellicis* inſcriptum Principi Danico, quem magnis laudibus extollit, ac iam fatum eius miſerabile deplorat. Vale frater candidiſſime. Heidelb. 25. Sept. 1633.

Berneg-

Berneggerus LINGELS-HEMIO.

VIr Amplissime, suspiciende patrone. Plusculi dies abierunt mihi vel perierunt potius, hoc tempore solitis institui Magisterii Candidatorum examinibus. Ea caussa factum, vt binis tuis has vnas aliquanto serius reponam. Quæ posterioribus inclusæ fuerunt, eas rectè curaui. Dn. *Steinbergius*, iisdem allatis, jamdomum discesserat metu contagiosæ luis, apud nos ita grassantis, vt hac vna septimana, vltra 300. funera in Libitinæ rationem venerint. Frigescente nunc aura, meliora speramus. Publica apud nos non sat bene se habent, nec mirum &c. *Freinshemius* ante dies quatuordecim

decim discessit in Comitatu Legati Gallici. Scribit se saluum quo destinauerat peruenisse, cum prius à rusticis Lotharingicis, deinde ab Equitibus Salmensis Comitis, præsentissimum inde necis, hinc captiuitatis periculum sustinuisset: quorum tamen alterum solius DEI misericordia, posterius etiam Legati *Regij* beneficio feliciter discussum sit. a Dno *Marescoto* perhumaniter exceptum se benigne haberi. Ego & mei omnes adhuc rectè DEI gratia valemus: optamus te quoque Vir Maxime, præsidium nostrum vnicum optime diutissimeque cum tuis omnibus. Valere. 6. Octobr. 1633.

Lingels-

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

NOn possum satis deprædicare benignitatem tuam, qui privare te voluisti ad tempus, jucundissimo disputationis fructu, vt importuno meo desiderio satisfaceres. quas dignas grates reponã, vtinam factis possim. Recipies igitur per summum nostrum amicum, & vtilem operam impendes omnibus veritatis studiosis. Anxius sum vehementer ob densa apud vos funera & metuo vestris tam caris capitibus. Seruet vos DEUS melioribus temporibus. DEO viuimus, DEO morimur. *Freinsemio* gratulor discrimina superata, & comitatem Patroni. Bene

ne ſit iſtis & omnibus noſtris amicis. De rebus noſtris viua epiſtola referet. Vale dulce decus meum, cum tuis omnibus. Salutant vos amanter mei, & imprimis nepotulus *Georgius*, qui nuper nata mihi nepti ex filia *Maria*, nomen ei indi voluit *Suſannæ* in memoriam veſtræ, & obtinuit. En ardorem amoris in puſione. Viuite felices. Heidelbergæ. XIII. Octobr. 1633.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

S.P.

VIr Summe, parentis loco mihi ſemper obſeruande. *Glaſerus* noſter, quem occupatiſſimum hactenus appellare nondum licuit

ticuit, ſuperiori ſeptimana *Galilæum* cum literis ad me miſit, in quo per hanc hyemem conuertendo tanto progredior alacrius, quod autorem cum inſtituto meo, tibi, cujus judicium facio, pro eo ac par eſt maximi, non diſplicere animaduerto, nec auocabunt ab intentione iſti ad portam neſcio qui: non enim *Hannibales*. adeo nihil ſtrenue hic geritur. niſi forte labores intercipiat epidemia lues quæ ſeptimana ſuperiore 349. homines apud nos abſumpſit. Et quamuis ego meique tuti hucuſque fuimus: cum tamen in vicinia quoque malum hinc inde ſerpat, nunquam nobis licet eſſe ſecuris. Mirifice nos oblectat nepotuli adhuc durans in infantem meam amor, & magis

vestrum in nepti tuæ (de qua plurimum gratulor) imponendo nomine obsequium, nouum super tot alia beneuolentiæ in nos vestræ argumentum: quam quæso seruate nobis perpetuam, omnesque à meis omnibus plurimum saluete & valetudinem vestram, quæ non minus nostrâ cura nobis est, diligentissime curate. 20. Octobr. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

AMicorum Integerrime. Quas ad me dedisti 20. Octobr. recte accepi, & in iis constantem in me amorem perspexi. Periculum à lue vestrum nos anxios valde

de habet, præsertim tam spissis funeribus. *Furichii* decessus cor mihi tetigit, amaui virum, & iam locum aulici Medici apud Bipontinum ipsi conciliarat gener meus *Spina* ; sed illi iam prospectum. Suecicæ res magnam cladem acceperunt in Silesia, de qua conclamatum videtur. *Hodizius* ductor à Cancellario missus in illas partes qui reliquias exercitus colligat. Nos *Vdenhemum* exhaurit, & Suedorum conatus hactenus inanes fuerunt, quamuis assidue spem faciant obtinendi castelli. Statuum Hollandiæ exercitus in hiberna reductus, & auxilia Suedica dimissa. Landgrauius *Wilhelmus* virum se præstat & res gerit. Breui futurum confido, vt ab Academia euoceris, ædes iam tibi præstitutæ

tutæ ſatis commodæ, idq; in mea vicinia. Tuam ego conſuetudinem omnibus aliis præfero. Faxit DEUS vt ſaluus nobis reddaris, & frui mutuo amore poſſimus. *Hugo* meus pro gratulatione agnatæ filiæ multum ſe debere tibi aſſerit, & feliciſſima quæque tibi familiæque optat, quod & facit omnis mea familia. In *Galilæum* jam intentus, pelle triſtes cogitationes, omnes & de futuris curas. in DEO confidamus, qui omnia in bonum ſuorum dirigit. Valete omnes Heidelbergæ 28. Octobr. 1633.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

NOli putare, vir maxime, ſocordia factum vt ad proxi-

mas

mas tuas ſilerem, quam par erat diutius. cum vxore pluſquam fribuſculum quoddam interceſſit, quod me per hanc ſeptimanã exercuit. Res ita eſt, Illa nempe quotiescunque ante hac, ob rationes quas bene nouit, mentionem migrationis noſtræ injeci, non abnuere viſa fuit. Nunc dum vocationẽ in propinquo eſſe & ſeriò rem agi videt, illa tergiverſari, cauſariq; varia: modo difficultatem atque pericula transferendæ Bibliothecæ, inſtrumenti typographici, ceteræque ſupellectilis noſtræ: modò rem Palatinam non ita reſtitutam, vt ab hoſtium incurſione ſecuritatem ſibi polliceri poſſit, &c. cumprimis ingerere miſerabilem illam futuram ſui ſuorumque ſpeciem

ciem, ſi quando me è viuis ſublato (non autem poſſe me mihi in hoc ſenectutis exordio multos inſuper annos promittere) ſibi ab omnibus deſertæ, omnique præſidio nudatæ, viuendum iſthic erit. Nec enim ita facile nouas amicitias parari, aut paratas firmiter coaleſcere poſſe. Vides, mihi cum vxore eſſe pugnandum. Ad filium nuper rem omnem perſcripſi, ejus reſponſum expecto. Interim te rogo, mi pater, hunc paternum in me animũ ne abjicias &c. Valete & ſaluete cariſſima capita omnia à nobis omnibus, nominatim lectiſſima virgo filia à diſcipula ſua laudumque præcone *Eliſabetha*. 24 Nou. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S.P.

AMicorum Eximie. Quum redderentur mihi literæ tuæ 24.Nou. datæ, jam mandatum acceperam à Principe, explorandi animi tui, num nam permoueri poſſis ad Academiæ noſtræ profeſſionem Oratoriam aut Hiſtoricam ſuſcipiendam. Perſuaſum enim habet Illuſtriſſimus Adminiſtrator, fore vt egregia tua fama doctrinæ & induſtriæ attrahat copioſam juuentutem reſtabiliendæ huic veteri Academiæ. Dum tu conſiderabis, quid è re tua ſit, dabitur opera ne diuulgetur conatus hic noſter. Vbi autem non abhorrere te ſignificabis, legitimo modo

modo & promerito tuo euocaberis per epiſtolam. Ex tuis autem literis certamen tuum intellexi, neque leuia videntur, quæ tibi objiciuntur, ſed caue diſputationibus aſſiduis conjugis tuæ animum irrites, nam contentionibus iſtis aſſuefiet ad contradicendum, ac magis magisque obfirmabitur in opinione contraria. Filius tuus multum poterit, & res ipſa docebit. Hiems iſta elabetur interea, & res Palatinæ, quod ſpero confirmabuntur. reliqua autem facilè concident, naui omnis libraria quoque ſupellex ſine tua impenſa aduehetur & reperietis hic amicos ſinceros. In DEO confidamus à quo omnia bona. Libertatem habes eligendi quod è re tua erit, & quidquid conſti-

tueris,approbabo, quamuis enim impatienter te caream, commoda tamen tua meis præfero. Æquo animo hæc perpende, ſcopus ſit gloria DEI, rationes in vtramq; partem conſiderate perpendantur, facile poſt erit eligere. Dux *Bernhardus* feliciter res gerit in Bavaria, atque hoſtium conatus mirifice infregit. DEUS porro juvet, ei te tuosq; commendo. Mei reſalutant vos, & cum inſigni affectu. Viuite felices. Heidelb. Kal, Dec. 1633.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

DIſtuli, mi Pater, hucuſque reſponſum ad proximas tuas quod cuperem ante Lutetia filii mei

mei literas accipere, ad quem de toto negotio retuli. Sed nihil dum litterarum comparet, haud ſcio qua cauſſa, niſi quod pridem ad me Lutetiâ perſcriptum eſt & res ipſa loquitur, iſthic incredibilem tuam in curandis litteris perſcribendisque nouis diligentiam, ex quo diſceſſiſti Argentina, valde deſiderari, minimeque præſtari ab eo, cui hic relicto, res ea maxime curæ eſſe debebat. Audio Francofurtum inter ac Metim, juſſu Regis, celeres nuper eſſe diſpoſitos, vt nunc intra decem dies Pariſienſium ad nos & viciſſim litteræ commeare poſſint. Ea nunc occaſione vtor & breui reſponſionem expecto. De publicis, quia non inquiro ſolicite, vix quicquam, niſi quod in omnium ore

eſt reſciſco. Gallicæ copiæ in propinquo eſſe dicuntur, quæ noſtros homines ſuſpenſos tenent, plusne illa noſtris hoſtibus, an noſtræ libertati nocituræ ſint. &c. 16. Decemb. 1633.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

QUas XVI. Decembris ad me dediſti, accepi lecto affixus, ex arthriticis doloribus, quorum relliquiæ vix ſinunt tractare calamum. Subinde interrogor à noſtris, quid reſponſi abs te tulerim, reſpondeo, rem arduæ deliberationis, tempus & conſiderationes exactas requirere. Tu tuo commodo ſtatue apud te quid è re tua vide-

videbitur nihil periculi in mora. Jam vero nuncio tibi Rhenum jam tibi liberum, reddito *Vdenhemio*, quod hactenus nostri fuit fundi calamitas. Excedit miles cum armis vasisque & binis tormentis, currus præbentur XXX. vehendis impedimentis, deducuntur Brisiacum, aut vbicunque præsidium erit Cæsareum. Deditio facta Coronæ Suedicæ & fæderatis Principibus: Gallorum nulla facta mentio, quorum copiæ recesserant versus *Mosellam*, postquam Cancellarius *Suedicus* negasset ditionem exhaustam esse ferendo alteri exercitui. Is discessit Francofurto Erfordiam versus, quamuis Orator Gallicus *Fequierius* ipsi suum aduentum significasset. In Kal. Martias indictus Conuentus

Francofurtum federatis, itemque Saxonicis Principibus de federe augendo. Dux *Bernardus* Ambergam aggresſurus ſcribitur. Gaudeo tibi iter ſecundo Rheno iam patere. D.*Hagen* itidem ad nos feſtinat, quid ſi vos vna naui, quod commodiſſimum foret. *Henotus* noſter tibi commendari vult, fac intelligat, te mea cauſa ipſi bene velle; en ad ipſum literas. Salueat Dn.*Lucius* à quo elegantiſſimam accepi epiſtolam. Valete omnes totaque domus tua à meis quoque. Heidelb. 6. Jan. 1634.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

AMpliſſime vir. Colloquii potius eſt quam epiſtolæ, narrare

rare mirificas turbas, quæ nos hic agitant. &c. accepi nuper à filio post longum silentium literas, nec ille migrationem dissuadet, nisi quod eam differendam censet, donec Palatinatus à graui conuulsione reualescat. Et nondum ei de reddito Vdenhemio, h. e. fundi vestri calamitate sublata constare poterat. Vxor etiam indies mitescit, nisi quod conscientiæ libertati timet, de qua vt in literis me vocaturis, nobis caueatis, ab humanitate vestra facile, opinor, impetrabimus. &c. Cuperem autem differri vocationem in vnum alterumue aut summum tertium mensem, ob causas quas forsan filius meus coram breui exponet. Nam ille, operâ *Glaseri* nostri à Rheingrauio quodam vocatur,

vt ejus filiolo sit à studiis : nisi forsan diutius Parisiis hærere malit, quod fecerit sane me non inuito, atque etiam suadente. V. 16. Jan. 1634.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

POstquam spes illa quam nuper feci de filii mei aduentu, decollauit, opportune accidit, vt ejus loco nunc veniat *Jo. Ludouicus Peyerus* Scaphusianus per annum & vltra conuictor mihi jucundissimus, erecti juuenis ingenii, in quo juuenilitatis vix quicquam conspicias. Is instar esse poterit Epistolæ viuæ, satisque prolixæ, si tanti videbitur, de Vrbis & Academiæ nostræ statu, de me deniq; meis-

meisque narrantem audire. Valde certe desiderat admitti ad Colloquium tuum, eoque nomine tibi se commendari à me voluit, nescius scilicet, vltro te bonis omnibus optimum ipsum patere. *Galilæi* Systema (in quo vertendo pergo quoad possum) in Italia proscriptum est: quæ res & mihi laboris stimulus est: & olim vti spero, libri pretium accendet. Mitto proscriptionis formulam, sed ea lege ut ad me redeat, vberem aliquando præfationis materiam præbitura. 6. Febr. 1634.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

IUcundissimæ tuæ 16. Jan. datæ,

recte mihi redditæ, placet differri vocationem tuam, & eam formari pro voto tuo. Virum Clarissimum *Schoppium* iam puto ad vos peruenisse, inter vos ambos viros optimos facile conueniet. Ditio hæc mirifice exhausta est, neque dum cessant rapinæ insolentis militis, nullo rectore dedecus nobis pudendum, qui hæc feramus, sed ita solet inter federatos, vt qui arma tenet omnia sibi licere velit. Sed quid delabor in querelas? Mei omnes vos resalutant peramanter, assiduus nobis sermo de felicitate nostra per vestrum conuictum. Sed & viri graues assidue me percontantur, respondeo petere te adhuc tempus ad deliberandum exiguum. Cancellarius Suedicus bene sperat de Saxonicis.

cis. Saxo ad Cæsarem missurus est splendidam Legationem, dum cæteri de salute sua tuenda delibe-rabunt Francofurti. Sed quæso, quomodo procedit *Galilæus* tuus, hiems jam præceps ruit, quem finem labori tuo proposueras, ejus-modi malo considerare quam publica, quæ ruunt culpa vniuersorum. Apud nos *Camerarius* Junior Suedicas res gerit, is sæpe de te percontatur, ingenuus æstimator virtutum tuarum, is te saluere jubet, adfuturus quoq; Conuentui Francofurtano. Vale cum tuis felicissime. Heidelb. 9. Febr. 1634.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

ET literæ tuæ 6. Febr. datæ & colloquium cum *Peyero*, elegantiſſimo juuene mihi fuerunt longè jucundiſſimæ. Is jam cum *Hagenio* ad vos redit. Cogitant noſtri ſub Paſcha inſtituere Profeſſores ad Academiæ reſtaurationem, itaque rectè feceris, ſi de rebus tuis mature quid ſtatuas. Deus dirigat cœpta tua. Remitto Tribunalis ſacri ſententiam contra *Galilæum*; quam fœdè ſe immiſcet ſacra cohors in deciſionem controuerſiæ Philoſophicæ. gaudeo id tibi incitamento eſſe ad vrgendum opus tuum in quo gnauiter perge, gratum facturus omnibus

verita-

veritatis ſtudioſis. Publica ſic ſatis procedunt & hoſtis ſubinde ſtrages accipit diuerſis in locis. Francofurti celebris conuentus inſtitutus in menſem Martium. Salutat te peramanter *Spina* gener meus & impatienter tuum aduentum expetit itemque tota domus mea. Has literulas quæſo reddendas cures quibus inſcriptæ. Filius tuus inſignem operam mihi præſtitit juſſu *Hottomanni*, in privatis meis extricandis, cui plurimum debeo, recreatus mirifice ſuauiſſima ejus epiſtola. Det ei DEUS quæ optat. Valete feliciſſime. Heidelbergæ. 18. Febr. 1634.

Ber-

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr Ampliſſime. Qui literas haſce reddit *Joachimus Ruderer*, *Joachimi Quæſtoris* monialium pœnitentium filius, cum iſthic expediendi neſcio cujus negotii cauſſa Heidelbergam eſſet iturus, orauit me, quod pro jure affinitatis imperare poterat, vt ſibi commendatitiis meis aditum præſtruerem ad alloquium patrociniumq; tuum, quod rebus ſuis magnopere commodaturum ſperet. Etſi vero certo ſcio, precibus ejusmodi nihil quicquam opus eſſe apud te, cui bonis omnibus, aut ſpecie bonorum obrepentibus vltro benefacere pridem in naturam vertit: ne tamen homini amico

eo deesse viderer, placuit εἰς πεδίον τὸν ἵππον προτρέπειν, & reuerēter orare te, quod nec rogatus faceres, vel mei causa libentius diligentiusq; facere digneris, quo is intelligat commendationem meam, aliquid apud te momenti ac ponderis habuisse &c. 28. Martii 1634.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

S.P.

SUmme Virorum optime mi Patrone. Venatorem nostrum propediem huc venturum esse, lætus lubensque nuper audiui, cujus expectatione jam sum in respondendo breuior. Nam & cum eo de toto negotio nostro deliberare accuratius, & per eundem, quid deni-

deniq; statuendum videatur, nunciare licebit. Nunc *Schoppium* nostrūm Virum longe optimum candidissimumque nolui absque breviculis hisce dimittere, qui longioris epistolæ vicem explebit. Dn. *Schmendius*, gener *Gruteri* pridem apud me pecuniæ non parum deposuit. quando reposcet? Dn. *Miegius* JCti titulum impetraturus, cum obiret experimenta solemnia, ita probauit eruditionem suam, vt Juris Consulti nostri in proximo conuentu Academico prædicauerint, se jam à longo tempore candidatum digniorem doctioremque non habuisse. V. 22. Apr. 1634.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

CAndidiſſime amicorũ. *Schoppius* recte reddidit tuas, ſed colloqui cum ipſo nondum datum, quod fiet hodie vt ſpero. *Schmendium* mo[illegible]ebo, vbi me convenerit, vt te onere liberet depoſiti. de *Miegio* gaudemus & nuncius de ipſo tuus jucundiſſimus matri ſuæ atque propinquis. Verum teſtimonium ipſi tributum ſcio, incredibilis enim eius fuit diligentia. Jam ipſi defertur à Comite Iſenburgico conditio, filii ſui comitandi in itinere Gallico. Per *Rudererum* proxime ſcribere non datum, credo tibi retuliſſe noſtras ſalutes, ſed etiam auocor. Vale ani-

animæ dimidium meæ. Venatorem frustra te expectare puto, neq; scio vnde tibi eius aduentus spes. Nobiscum fuit per hos dies familiarissime egimus: Incertus est plane de rerum suarum statu. adhuc obnoxius Principi suo. Pertrahetur spero quoque ad nos. Sæpe fuit nobis jucunda tui recordatio. Salueant tuæ Caritates à meis. Heidelb. 25. Aprilis 1634.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

AMplissime Vir. Totus hic dies mihi disputationib. absumptus est. Nam horas quidem antemeridianas *Miegio* huic nostro tribui, de quo nihil possum ita

ita magnificè prædicare, quin ipſe mereatur ampliores laudes. Tanta dexteritate, tanta facundia, tanta modeſtia interim & amabilitate, tanto etiam auditorii, ſolito frequentioris applauſu, partibus ſuis defunctus eſt, vt ex omni numero Candidatorum in Academia noſtra vix vllum parem, præſtantiorem certe neminem habuerimus. Veruntamen quicquid voluptatis ibi contractum, id omne moleſtia pomeridianarum horarum abſterſit, quibus mihi deſidendum fuit in cathedra diſputatoria cum inepto fere Reſpondente quem vocant, vel Tacente potius, & aduertendus animus, commodanda lingua, ſtultorum adoleſcentum φλυαρολογήμασι neſcio quibus. Talibus ineptiis oppletum

tum obtusiumque caput ad scribendum non facile traduxero. Percommode igitur accidit, vt idem ille noster sese nunc offerat, qui vicem epistolæ fungatur. Ex hoc & de *Galilaicis* excudi cœptis & de nostro proposito & de aliis quæ scire lubebit, cognosces. Scribam tamen & ipse prima quauis occsione plura. Interim &c. 8. Maij 1634.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIrorum & amicorum pręstantissime. Ad binas tuas responsum tibi debeo, quas *Miegius* & amplissimus *Brederodius* mihi reddiderunt. specimen *Galilaico-*

rum

rum tuum mihi per omnia placet. tanta est perspicuitas in interpretatione tua, vt longe exactius acceperim, quam ex ipso auctore. sic perge bene mereri de publico & molestias magni laboris fortiter perfer; quibus cor est, magni facient hanc tuam operam. &c. Desiderium tui ferre incipio impatienter, extrica te quantum potes inde, & tibi tuisque sponde de nostris amica omnia. Tota domus mea ardet desiderio vestri, & crebri sunt nobis sermones de vobis, ac jam animo pręcipimus gaudia vestræ consuetudinis. *Glaserus* noster confectis magnam partem negotiis suis breui nobis aderit. Generi mei, ceterique amici vrgent vt nobis sistaris. Ii salute Te impertiunt animitus. Ingentes
 sunt

ſunt difficultates ſuſtinendis belli ſumptibus, exhauſtis fere omnibus confœderatis, ſed aliter pax obtineri nequit, quam reddet Pater Cœleſtis, quum conſultum erit ſuis. Vale cum tuis feliciſſimè & amorem tuum nobis ſerua: Heidelb. 10. Jun. 1634.

P. S.

Mareſcotus Metis ad me ſcripſit his diebus, expetit certior fieri de valetudine & rebus tuis, prædidicat officium tuum in tradito ipſi *Freinſemio*, cujus virtutes prædicat.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr Ampliſſime, Mi Pater. Reſponſi

ſponſi tarditatem ad nouiſſimas tuas, ſi multis excuſare inſtituam, fecero injuriam humanitati tuæ, vel indulgentiæ potius erga me perpetuæ, qua licere mihi putaſſem vel ad aduentum uſque filii mei, quem in dies ſingulos expecto, ſcriptionem, vti conſtitueram, differre, niſi nefas duxiſſem, *Zieglerum* hunc veſtrum, egregium ſane virum, ac mihi per hos dies, affatu perhumano multiplicique ſermonum varietate jucundiſſimum, abſque literis meis ad vos dimittere, qui idem amplior interpres ac teſtis conſiliorum meorum eſſe queat.

In opere *Galilaico* occupationes aliæ properare non ſinunt. Nuper *Elzivirij* promiſerunt impenſas, itaque typographus ini-

tium excudendi fecit. Nobilissimus *Brederodius*, reuerentissimè nomine meo salutandus, attulit à *Diodato* tractatum *Foscarini*, in quo dogma Copernicanum cum sacris literis conciliatur, satis speciosè ac neruose, nisi fallor. is *Galilæum* aduersus eos, qui specie pietatis veritatem impugnant, egregie communiet. Adnectam quoque *Kepleri* Lunarem astronomiam, vnde inuicta pro Copernico argumenta peti queunt. nondum enim quod sciam, lucem is liber aspexit. Si nobis propitius DEUS annuerit, breui extremam operi manum imponam. V.10. Julii 1634.

Lucius plurimum saluere te jubet, vltimum quoque vale dixisset, si se tam vicinum morti crederet,

deret, quàm Medicus affirmat. ingens homini ſolatium fuerit, ſi me reſponſo dignatus, vel vno verbo ipſi ſalutem aſperſeris.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

QUas 10. Julii ad me dediſti rectè reddidit mihi his diebus *Zieglerus* egregius Juuenis & tuarum virtutum prædicator. In ſumma es exſpectatione apud noſtros, ſeruatur tibi locus in Academia, & mora moleſta minus eſt, quod certò confidimus ſuperaturum te difficultates omnes. Gaudeo te pergere in *Galilæano* opere, placet inſtitutum de addendis cæteris ejus argumenti. Ratisbona amiſſa mul-

tos perterret, ſed conſtat hoſti magno conſtitiſſe, vt vires ejus immenſum debilitatæ ſint. Cras jejunium ac preces publicæ inſtitutæ in Palatinatu. In Domino confidimus, Ipſi te tuosque commendo. *Zieglero* datum munus Secretarii, præſertim in rebus Gallicis, is te ſalutat officiosè, vt & amici reliqui. Viuite felices. Heidelbergæ. 29. Jul. 1634.

Tam diuturnus & lentus morbus *Lucij* noſtri me ſollicitum habet, aſſidue de ipſo cogito, & conditionem apud nos quæro. Salvere ipſum jubeo, omnesq; mei, ac valetudinem diligenter curare.

Berneg-

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr Amplissime. Jam dies labitur 14. cum *Brederodia* matronarum honestissima in hanc urbem venit. cujus de aduentu etsi tempestiue mihi constitit: tamen quod propter pridianum excessum *Lucij* nostri, tristitia languerem, & per biduum illud funebria curanda haberem, eandem officii caussa, vt par erat inuisere non potui. Tertio post die bis terve in diuersorio, quod corui gerit insigne, quæsiui ipsam, atque etiam aliquandiu præstolatus sum. frustra. postridie summo mane discessit, sic vt videndæ salutandæq; copiam nescio quæ mala fortuna subtraxerit. Si pauculis modò

 horis

horis ſerius abiiſſet, & officio functurus & vnà miſſurus eram, quæ nunc demum ſubmitto, in honorem defuncti Scriptorum exempla: quorum alterum Venatori noſtro velim tradi, cui charum *Lucium* fuiſſe ſcio.

Pridie quam obiret, allatæ tuæ mihi ſunt, in quarum calce dictam ſibi à te tuisque ſalutem, nouiſſima voluptate, nec ſine gemitu legit, & vt quàm amantiſſime vos nomine ſuo reſalutarem, actisque gratiis de beneficiis ſibi præſtitis, vltimum vobis vale dicerem, orauit. Optime nunc cum ipſo agitur, ſubtracto tot incommodis & adflictæ valetudinis, & concuſſi orbis &c.

Cœpi ſcribere hanc epiſtolam, pluſculos ante dies: ſed varie impedi-

peditus, demum abſolui 7. Sept. 1634.

Lingelshemius Bernegegero. S. P.

VIr Clariſſime & amicorum candidiſſime. Commercium literarũ intermiſſum aliquandiu & quod nihil haberem nunciare, quod tibi gratum aut jucundum eſſe poſſet, & quod recenſere miſerias noſtras & deſperationem de Republica ſine moleſtia fieri non poſſet. Heidelberga nobis deſeſerenda fuit, inde ruina vniuerſi Palatinatus, exercitus Suedicus profligatus clade Nordlingana omnẽ regionem noſtram exhauſit, inde hoſtis ſuperueniens Arcem Pala-

tinatus aggreſſus eſt, ac ſubito vrbe occupata, arcem tormentis ferire pergit. Exercitus Gallicus ad Manhemium, hæc videt & audit, nec ſe tamen mouet. Suedi pergunt perdere populares, neque ad ſuppetias ferendas permoueri queunt. *Bernhardus* Vinaiienſis ſpem aliquam facit, & Galli à Rege ſe mandata expectare ajunt. Hic cumulus malorum facit, vt de ſumma rerum ſpem pene abiiciamus. In DEUM tamen firma mihi fiducia. Filium tuum reducem tibi gratulor & ad præclara ipſum adhiberi gaudeo. Magno in his malis ſolatio mihi eſt, quod non inuolutus es noſtris malis, ita dirigente DEO, vt impedimenta tibi immitteret, quo minus precipitareris

reris in mala noſtra. Mei omnes amantiſſime vos ſalutant, atque in mente ac ſermone noſtro eſtis aſſidue. Seruet vos Dominus. ſalveat imprimis filius, quem in benefactoribus meis habeo. Francothaliæ 23. Nou. 1634.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

VIr ampliſſime. Accepi, curante *Glaſero* noſtro, ſuauiſſimas tuas literas vel γλυκυπίκρυς potius, quas exeunte Nouembri Francothalia dediſti. Volupe fuit à longo ſatis interuallo videre & exoſculari, manum hominis, mortalium omnium animo meo chariſſimi. Fortuna vero illa, quam cum tuis

 indi-

indigniſſimam pateris, tanto me dolore afficit, vt minime poſſim vel in audiendo præſtare, quam tu præſtas in ferendo, conſtantiam. Sæpenumero vos præſentes ac reduces optauimus, atq; etiamnum optamus, & ſi lubet hoſpitium offerimus, ſolatio nobis mutuo futuri.

Ex argumento tuarum animaduertere non poſſum, redditas tibi binas meas vltimas, in quarum alteris oraui, proſpiceres nobis de viro idoneo, qui Scholæ Schafhuſianæ præficeretur. Eſt mecum Scaphuſianus patricius, *Stockerus*, in ſtudiis melioribus longè diligentiſſimus, omnino egregius Juuenis, quem præuideo magno patriæ ornamento futurum

rum. Is autor mihi ſuit, petitionem iſtam vt apud Te repetam. Cogitaui de viro longe optimo, doctiſſimoque *Schoppio* noſtro: cui ſi perſuaderes, admitteret vocationem illam, magno me, vel potius Rempublicam illam laudatiſſimam beneficio affecturus eſſes. *Hurteri* Scaphuſiani Theologi ad me Epiſtolam hic habes, quam tamen remitti peto, & reſponſum auide deſidero. V. ſcr. τάχιστα, cum typographicæ operæ de *Galilaicis* vrgerent, jam vltra medium excudendo progreſſæ. Charitates tuæ à me meisque plurimum ſalueant. 13. Decembris 1634.

86.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

BInas meas jam ante menſes aliquot ad te ſcriptas interiiſſe fidem fecit expectatiſſima epiſtola tua proxima, in qua nec veſtigium reſponſionis extat. Nunc ne quidem nuperas meas in quibus *Hurteri* Schafhuſiani Theologi erant incluſæ, recte curatas eſſe, conjicio ex inſolito ſilentio tuo: niſi tamen aduerſa valetudo reuocat à ſcribendo. Schaphuſiani repetitis literis orarunt me, proſpicerem ſibi de viro docto & idoneo, qui ſcholam ipſorum regat, ſeu potius collapſam erigat. Cogitaui de Clariſſimo *Schoppio* noſtro, qui rebus Palatinis afflictis aut fluctuantibus, commo-

dum

dum isthic inueniret senectuti suę portum. Audio enim proceres illius Reipublicæ miti esse ingenio & studiis valde fauente. Si tamen ille, quod libentius credo, melioribus patriæ & Academiæ vestræ temporibus se servare malit, nunquid alius alicujus copia in Palatinatu dari potest? Impudenter fecero, si tibi onus inquisitionis imponam. Sed hoc certe rogare audeo, digneris saltem per filios (quos amice saluto) nobis gratificari. Magnam à laudatissima illa Republica gratiam inibitis. Vale Vir Summe, Tui omnes, Venator imprimis (nam & hunc inter tuos numero) salueant officiosè à me meisque. Arg. 2 Jan. Anno 1635. quem vobis procedere faustissimum, animitus opto.

Vester totus &c.

Berneggerus LINGELSHEMIO.

PRoximas tuas recte accepi, quibus etsi tenuem spem facis gratificandi Scaphusianis, non tamen omnem abjicimus: nec rogare desino (da veniam importunitati) per tuos denuo, qua dabitur occasio, cures inquiri. Discessus inopinatus *Camerarii* poenitudinem iniicit mihi, quod præsentis alloquio & suauitate non sim vsus crebrius. Quanquam negligentia commissum hoc est; sed quod succisivas horas omnes *Galilæo* tribuere sum coactus, in quem plus laboris, quam initio credideram, impendendum fuit. Rogo vt egregii viri & omnino tali patre & tali propatre dignissimi beneuolentiam,

tiam, quantum potes, (potes autem plurimum) mihi ſerues & foveas. Nam ea tempora imminent, vt talibus patronis maximopere opus nobis fore præuideam. Is perſuaſit, vt *Galilaica* quæ hactenus excuſa ſunt, auderem tibi mittere, quod diceret te hoc miſero patriæ ſtatu, è lectione talium, quorum tu prçcipue Judex es idoneus, aliquid leuamenti capturum. Venit in mentem verſionem autori ipſi inſcribere, qui nuper amantiſſime ad me ſcripſit. Rogo vt & de hoc propoſito, & quicquid præterea in rem facere videatur, judicium mihi tuum aperias. Filius meus *Caſparus*, cum ceteris meis, obſeruantiſſime te tuosque ſalutat, & proxima occaſione ſcripturum pollicetur. V. 26. Jan. 1635.

Lingels-

90.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

AMicorum candidissime. Tandem post longas moras à *Schoppio* accepi litteras quas mitto, vt mentem hominis melius cognoscas. Reiicit penitus conditionem oblatam, interea inquisiui apud nostros, an reperiri possit aliquis idoneus, & sunt sane inopes complures, sed nullus oblatus instructus dotibus quæ requiruntur. Nostræ res penitus deploratæ. Gallicus exercitus nihil adhuc præstat eorum quæ pollicebatur, interea quidquid restat succi in exhausta regione, penitus absumit. &c. Votis omnibus expetimus Electoris nostri aduentum

tum, ſed & ejus nulla propemodum ſpes ſupereſt. Anglo & Arauſionenſi id diſſuadentibus. Salutat vos omnes, tota domus mea. Valete feliciſſime. Francothaliæ 20. Febr. 1635.

Lingelshemius BERNEGGERO. *S.P.*

AMicorum deſideratiſſime. Quas ad me dediſti 26. Jan. per inſignem virum *Camerarium*, eas Wormatiæ dedit mihi mittendas; quum dubitaret quando huc venturus eſſet, ſed antequam mihi redderentur tuæ, ipſe me convenit, & gratiſſimo nuntio tuæ proſperitatis & in me affectus beavit. Paulo poſt redditæ ſunt mihi

tuæ,

tuæ, ſed in faſce de *Gallilaanis* nil inerat quam vltima pars operis cum Epiſtola *Foſcarini* & operis indice, vna cum frontiſpicio & imagine authoris, quid de reliquo factum ſit, non poſſum conjectura aſſequi, niſi forte famulus *Camerarij* non integrum faſcem mihi deferendum tradidit, neque faſcis obſignatus erat.

Maxima cum voluptate legi *Foſcarini* epiſtolam magno judicio ſcriptam. Vincet veritas.

De dedicatione operis, ſequere tuum conſilium. ego quid ſuadeam non habeo, ignarus an ferre poſſit publicum affatum, qui revocare & condemnare coactus fuit opus immortalitate digniſſimum. Tu certe optime mereris de literis, qui tot labores exantla-

ris,

ris, non ſine inuidia hoſtium veritatis. *Camerarius* cum ſuo patrono Cancellario Suedico per Galliam abiit, conuenturus, vt ait, Saxonem, ad quem tutò peruenire non confidit, ſine tot ambagibus.

De *Scaphuſiano* munere non abjeci curam, ex quo *Schoppius* tam ruſticè rejecit, locutus ſum cum multis quibus literæ ſunt curæ, ſed nihil dum mihi extricatum, pauciſſimi reperiuntur iſtis dotibus inſtructi, quæ requiruntur, & qui ex Palatinis jam ſedibus ſuis pulſi ſunt, malunt perferre mala & expectare ſecundiora, quam ſedes tam optatas relinquere: non deſinam porro inueſtigare. Sed quas ego grates tibi dicam de conſtanti tua in me voluntate, qui me partici-

ticipem facere pergis eorum, quibus maxime afficior, ægre mihi eſt, quod nihil habeam quod reponam. Hæc ditio ad extremam inopiam redigitur, partim ab hoſte occupata, partim à milite proteruo expilata hoſtiliter, neque dum finis. In DEO ſolo fiducia noſtra, certè humana omnia diffluunt, neque ſuperſunt ad gerendum bellum neceſſaria. *Bernardus* Wimarienſis, ducatum ſummum in ſe recepit, ejus copiis adjunxerunt Galli XII. millia peditum, quibus hæc vicinia ab hoſte vindicetur. Interea vrbs Treuirorum intercepta noua nobis pericula minatur, & conſilia gerendæ rei perturbat. Ego in malis illis publicis ſubinde morbis & cruciatibus infeſtor & exhaurior, ecquan-

quando erit finis malorum? Sed ego querelis te obtundo, quod alioqui sollicite vito. Vale cum tuis carissimis pignoribus. Salueat *Casparus*, quem pro filio diligo. Francothal. 25. Mart. 1635.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIr Clarissime, atq; amice candidissime. Breues quidem, sed amore ardentes literulæ tuæ 30. Octobr. datæ, de hospitio oblato gratias ago maximas, Incertus adhuc consilii: Asseuerat nobis pro certo, qui Hispani nomine, rogatu Angli, custodiendam hanc vrbem pro Angliæ Regis Sorore suscepit *Andreas Contreras*, exploratum

ratum ſibi eſſe, ſtatuiſſe Cæſarem, Principibus Palatinis reſtituere ditiones Rhenanas, idque fore ante hujus anni exitum: ſi id fit, ſubſiſtere potero domi meæ, quãvis miſerè ab hoſtibus acceptæ, & fortunis omnibus amiſſis. Cæſarem ajunt pacem ſeriò expetere, ac apud Gallum jam id egiſſe Magiſtrum Teutonicum Stadionem. Exercitus Cæſaris in Lotharingia inutilis factus, accerſiti Poloni, qui jam in itinere, non tam vt fulciant, quam vt fama aucti exercitus nouis copiis, conditiones Pacis æquiores obtineat. Ajunt & Cancellarium Suedicum cum exercitu ingenti Saxoniæ imminere, exhauſta autem pœnè tota Germania, non amplius videtur eſſe ferendo oneri. Sed hæc diuinitus

ſperanda. Hic ingens caritas eſt rerum omnium, & lues grauiſſimè ſæuit, ego tamen expecto, quo DEUS viam mihi monſtret. *Schoppius* noſter Heidelbergæ omnibus ſuis fortunis exutus, in ſumma vivit inopia, ſubleuamus ipſum hinc qua poſſumus. Te DEUS tuosque ſeruet incolumes. Valete cariſſima capita à nobis omnibus. Francothalia 6. Nou. 1635.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

AMicorum Candidiſſime. Statim vt tuæ 13. Decembris mihi redditæ fuerunt, literas dedi ad *Schoppium* noſtrum Heidelbergam reuerſum paulò ante. Sed Rhenus

propter glaciem trajici non potuit, ideoque meæ mihi domum reportatæ, iis inſerueram *Hirteri* ad te, quas jam recipies his inſertas. *Schopio* alia occaſione ſignificabo deſiderium veſtrum. De alio aliquo functioni Schafhuſianæ idoneo, nihil hactenus indagare potui. Res noſtræ ſunt afflictiſſimæ. Heidelberga tamen ope exercitus Gallici jam iterum erepta hoſtibus. Saxo cum Cæſare pacem fecit, ad eam aditus patet, cæteris Proteſtantibus, ſi velint, in eum finem conuentus rurſus Wormatiam indictus in X. Jan. Capita pacis nondum habemus. Ædes meæ Heidelb. pejus quam hactenus ab hoſte habitæ & expilatæ, nec video quando domum reuerti poſſimus. Elector *Carolus*

Ludo-

Ludouicus Kal. noui anni attigit annum 18. ætatis, & ex testamento paterno administrationi idoneus habetur. quando venturus sit, nondum constat. Gaudeo in *Galilæanis* tam gnauiter vos pergere. Bonum factum. De oblato tam amanter hospitio gratias habeo toto pectore. & tua mihi consuetudo supra omnia solatia. Spero meliora de rebus nostris quamvis perditissimis. Salueat tota familia tua. Sed quid filius tuus, cur nulla ejus mentio in literis vestris? Salueat & ille solatio futurus suis. Valete felicissime. Francothalia 29.Xbris 1535.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

DEcus meum. Flagitium meum agnoſco, quod tantò tempore nihil ad te literarum dederim, ſed quoties ſcribere ad te cogito, nihil occurrit, quod tibi cognitu jucundum aut gratum eſſe poſſit, querelis autem & lamentis te obtundere non conuenit. Scito autem nihil de meo in te ardore deminutum, creber cum filia mea *Kunigunda* ac minoribus meis filiis, qui mihi adſunt, de vobis ſermo, & vota ſeria pro veſtra incolumitaate. Sed certa ſpes necdum affulget meliorum temporum. Ad pacem omnia ſpectare quidem jactantur, ſed hactenus vane.

vane. Premimur hic grauissimè, neque hinc effugium patet, neque constat, quo refugium capiamus, itineribus infestis. Interea meditationibus sacris ac lectione animum pasco, & me Diuinæ Providentiæ permitto. Valetudine jam vtor secundiore per DEI gratiam. Ceterum infesta omnia, neque amicorum quisquam qui mihi solatio sit. Mihi ac DEO vivere studeo. Sed inanibus te obtundo, coram frui suauissimo tuo conuictu assidue mihi in votis. Seruet Te tuosq, Dominus. Scribe quæso, quid sub manibus habeas, profuturum publicè. Scio ingenium tuum non posse torpere. Vale quam beatissimè Alter ego. Francothalia 26. Febr. 1636.

Berneggerus LINGELS-HEMIO.

VIr Amplissime, mi Pater. Simul & jucundissimæ & peracerbæ mihi fuerunt literæ tuæ, quas 26. Febr. ſcriptas *Glaſerus* noſter mihi reddidit. Nam & dulciſſimam manum illam tuam, à longo tempore non viſam, exoſculatus ſum: & vero vehementer indolui miſeriis veſtris: ita tamen vt ex illa CONSTANTIA quā ſpirant litteræ tuæ, & quam in omni vita, omni fortuna, præſtitam hactenus, exuere non potes, plurimum & ſolatii capiam & documenti. Quanquam ad exemplum illud tuum non niſi à longo interuallo, reptabundus quaſi me compono. Nec enim diſſimulo, noſtro rerum

ſtatu

ſtatu, qui veſtro tamen haud paulo tolerabilior eſt, ita me frangi animo atque debilitari vt vix erigere me, nec vel ex ipſis ſtudiis, animi pabulo, ſolitæ voluptatis aliquid capere poſſim. Quanto magis exopto, Te veteribus hic amicis, idem ſummoperè cupientibus, vt reſtituas, ac meam infirmitatem exemplo præſenti, ſalubriumq; colloquiorum ſuauitate, vt ante hac ſolitus es, porro juues, Nos Tui illi nihil rerum neceſſariarum, quantum quidem in poteſtate noſtra ſitũ eſt, deeſſe Tibi patiemur. Videſis quid *Gothofredus* Lutetia ſcripſerit ad filium meum, de *Cameraria* ſorore ſua: cui, niſi graue eſt, indica (nam iſthic agit, vt audio) *Comorellum* mercatorem noſtratem à me de pecuniis illis

appellatum promisisse, se illas cuicunque bona fide poscenti numeraturum statim, significabit ergo quid fieri velit. *Galilæi* systema Copernicanum, una cum Apologetico nuper hic excuso, faxo habeas per nostrates, ad Mercatum Francof. ituros: vel potius (ita confido) præsens dabo præsenti. Vale Vir Magne, præsidium decusque nostrum incomparabile, & cum tuis à me ac meis iterum iterumque salue. 11. Martii 1636.

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

VIr Clarissime, Amice Candidissime. Ex literulis tuis ad *Camerariam* intellexi te ad me scripsisse, verum nihil dum mihi reddi-

redditum, itaq; cogitabis cui tuas commiſeris. *Cameraria* te officiosè ſalutat, gratias agit de opera tua tam ſedula ; ſed pecuniam quam frater ſuis aſſignauit, non vult huc transferri, ſed à mercatore retineri, donec aliud mandet. Incerta plane eſt, vbi ſedem ſibi quærere velit. Amplisſimus *Brederodius* Baſileam proficiſcitur, vbi tutum iter concedetur, quod ſperant fore, quia Cæſareanus exercitus omnis in iſtis partibus jubetur in Italiam feſtinare, Mediolano liberando, quod Galli inuadunt. Spiram aduenit *Keefenhullerus* Cæſareus Legatus, cum mandatis, vt ajunt, reſtituendi Palatinatus. exſpectatur ex Anglia, qui in Itinere. Hiſpanus à Cæſare id obtinuit, cui Anglia viciſſim

 ciſſim

cissim spondet, hostile nihil contra Hispanum agere. Itaq; spes propinquior nobis affulget, sed toties delusi, metuimus porro fraudes. Ingens me desiderium tenet, cognoscendi de tuis rebus, & tuorum prosperitate. nam in literis quas subinde à *Glaseris* accipio, nulla tui aut de tuis mentio. Sed vestri memoria apud nos viget & subinde vota pro vobis facimus: Imprimis aueo scire, quid in literis pares, & quid fiat de *Galilæanis*, num exemplaria distrahantur. Ego hic in Scytarum eremia, nihil de literis aut libris audio. Tu vero mihi instar omnium viue & vale nostri memor. Francothaliæ. 25. Martii 1636.

Lingels-

Lingelshemius BERNEGGERO.

S. P.

DEcus meum. Ingentes tibi gratias habeo, pro *Galilæo* tuo, quem integrum mihi Spira misit nepos meus *Mullerus*. Sed non intelligo quomodo nullæ tuæ in illo fasce comparuerint abs te literæ, quarum maximo teneor desiderio. totus jam sum in lectione admirandi ejus operis, quo indies magis magisq; capior, & tibi ingentes gratias publice deberi profiteor,. quod tanto dono nos bearis. Sed autor ipse nihil adhuc protulit, quo tuum studium & operam deprædicet. Quoties in votis es mihi, vt tecum colloqui de iis, quæ minus assequor

possim? Sed & absque hoc creber mihi de te & virtutibus tuis sermo, & *Kunigunda* mea familiam tuam sincere amat. O quando meliora dabuntur tempora! Sed pax refugere videtur, quam vndique futuram breui jactant. Istis quas suggessisti meditationibus, obliuionem nostrorum malorum induco, & euentum turbarum istarū DEO permitto. Is Te tuamq; totam familiam conseruet incolumes. Vtinam occasio mihi præbeatur, factis ostendendi, quanti tuum hoc beneficium faciam. Francoth. pr. Cal. Aprilis 1636.

Berneggerus GALILÆO GALILÆI.

VIr incomparabilis & eminentissime. Systema tuum Coperni-

pernicanum *Elias Diodatus*, inclyti tui nominis admirator, Parisiis non ita pridem ad me misit, autorque mihi fuit, vt illud latine conuerterem, quò tam pretiosum opus, sed Italiæ soli scriptum, cum orbe Europæo cetero quoq; communicaretur. Etsi verò cum tenuitatis mihimet meæ conscius, tum aliis officii publici laboribus districtus, prouinciam hanc subterfugere forte debui: lubens tamen eam in me recepi, maxime quod significasset mihi *Diodatus*, libri tui de proportionum instrumento conuersionem ante 20. circiter annos à me confectam; & paucis abhinc annis in manus tuas forte delatam, Tibi non displicuisse. Spem itaque concepi, in hoc etiam vtilissimo opere me satisfa-
 tisfa-

tisfacturum aliqualiter expectationi tuæ, & per hanc hyemem opus absoluturum. Jam aliquo vsque progressus sum. cujus rei testis oculatus est, qui tibi reuerenter hanc epistolam exhibebit vir præstantissimus Dn. *Benjamin Engelke* Dantiscanus, qui pro singulari sua, clarissima quæque cognoscendi cupiditate, nunc Italiam Orbis Reginam ac te cumprimis, non Italiæ modo tuæ, sed orbis quem immortalibus tuis scriptis illustrasti, lucidissimum sidus coram intueri desiderat. Huic &c. 30. Sept. 1633.

Peril-

III.

Perillustri & Excell.mo Viro

MATTHIÆ BERNEGGERO

Galilæus de Galilæis.

S. P. D.

SI nostros vultus & corporis speciem ab egregio Pictore exprimi libenter aspicimus, atque honoris loco habemus; quanto jucundius atque honorificentius esse debet, si non oris figuram, non corporis simulacrum, id est nostrę imaginis imaginem, sed animi sensa, mentis habitus, nostrique intelligentiæ simulacra, id est plane nos ipsos, à præstantissimo artifice studiose repræsentari videamus? Nemo itaque me jure reprehendat si magnam percipio voluptatem, & jam me aliquid esse puto, ex quo inaudii meas Philosophicas

cas lucubrationes, quas postremò in publicum Hetrusca scriptione emisi, à te Doctissime *Berneggere*, latinæ elegantiæ coloribus, solertissimè referri. Tua vero hac opera effectum iri auguror, vt me omnis posteritas non modo, qualis ingenio fui, possit contemplari, sed & supra quam merui admirari: nam tuum artificium hoc pollicetur, vt citra similitudinis detrimentum me pulchriorem quam sum ostendas, & imitatus *Apellem*, qui *Antigoni* faciem altero tantum latere ostendit, vt amissi oculi deformitas occultaretur, tu quoque si quid in me mutilum vel deforme offendes, ab ea parte convertas qua speciosius apparebit. Hanc mei ornandi occasionem, quam nullo meo officio prouocatus

tus

tus tam amanter vltro arripuiſti, percupio ſane luculenta aliqua gratitudinis ſignificatione remunerari, ſed vt nunc tempora fortunæque meæ ſunt, non poſſum tibi niſi hanc ipſam cupiditatem exhibere, & ſic è longinquo tuam illam mihi cariſſimam manum, qua noſtris laudibus allaboras, ex animo diſſuaviari. Ceterum dejerare liquidò poſſum, poſt tot turbas & corporis animique vexationes, quas mihi pepererunt primùm ſtudia ipſa quæ radices artium amaræ ſunt, deinde ſtudiorum fructus, qui multo ipſis radicibus amariores fuerunt, hoc tuo erga me ſtudio nullum mihi majus ſolatium contigiſſe. Etenim (ne ſis neſcius) liber hic quem tanti putas, vt exornes, vix famæ

lucem

lucem adſpexit, cum mihi ſubitò obortis inuidiæ tenebris triſte inhorruit cælum, & ſenſi circa me fragoribus omnia quati, nec ſolum tela manu facta in me contorta ſunt, ſed cælesti etiam fulmine afflatus atque ambuſtus, nondum plane ſordes & vincula euaſi, ſed adhuc cathenam traho in mei prædii ſuburbani circumſcriptas anguſtias relegatus: non tamen his anguſtiis elјditur aut contrahitur animus quo liberas viroque dignas cogitationes ſemper agito & ruris anguſtam hanc ſolitudinem qua circumcludor, tanquam mihi profuturam, æquo animo fero, cum enim meæ jam deuexæ ætati mors appropinquet, fortius ad illam acceſſero, ſi me paulatim inſueſcero à paucis agri jugeris ad

tres

tres vlnas ſepulchri, in quo non vna cùm corpore noſtrúm Nomen ſepelietur; ſed modò tu me ornare pergas, orbem vniuerſum me fama excurſurum, & modo DEUS hanc animi tranquillitatem mihi perpetuam faciat, animo quoque me ſemper beata libertate fruiturum confido. Vale ex Arcetrii Ruſculo meo. XVII. Cal. Aug. 1634.

Galilaeus BERNEGGERO.

SOno alcuni meſi, che il noſtro M. Ill. & officioſiſſimo S. *Elia Diodati* mi ſignificò il deſiderio di V. S. M. I. di hauere i veſtri per vn Teleſcopio, & che uſciſſero delle mie mani: non mancai di applicarmi ſubito à mettergli all ordi-

ordine per seruirla : non molto dopò il med.mo S. *Elia* mi auuisò della difficoltà e pericolo del trasmetter anco vnna semplice tra da Parigi (doue pensano d' inuiare i vetri) ad Argentina: onde io sospesi il mandargli là, & staua aspettando qualche occasione sicura, se però sicura se ne trouare in questi vniuersali tumulti. Auuenne aleune settimane fà, che che mi comparse vne lettera scritta mi dal S. *Beniamini Angeli*, il quale parte di V.S mi domandaua vn Telescopio, cioè, non solamente i vetri, ma il cannone ancora, il quale perche và longo piu di 2. 61a.e periculoso, se non impossibile a condur lo per tanta strada. In tanto mi è soppraggiunto il S. *Lod.co Elzeuirio*, e di qui passò a

Ve-

Venezia,doue si trattione ancora, & fra 15. giorni partirà per la patria, e come mi ha fatto intendere, se fara la strada per Germania, come desidera, porterà i vetri a V. S. i quali oggi inuio a Venezia,acciò gli siano consegnati insieme con questa e caso che egli non passasse per Alemagna, i vetri, e questa saranno consegnati al S. *Beniamino*, si che spero, che per l'vna o per l'atra via saranno recapitati in mano di V.S.

Jo hebbi, circa 3. mesi fà, il primo foglio della mia scrittura tradotta e stampata; e vltimamente ho riceuuto del med.mo il frontespicio con le 2. lettere, che mi sò piaciute assai, e ne starò aspettando vn exemplare intero, desiderato grandemente da tutti i miei amici,

amici, come con affetto contrario e per eſſer veduto da gl oſtinati, & implacabili miei nimici. Jo non dubito, che trasmettendone in Italia, harebbe grand' eſito, come anco l'uſo del mio compaſſo, che gia molti anni ſono V. S. ſi compiaqque di far latino, & illuſtrare con molte ſue aggiunte, del quale offizio io mi ſon tenuto ſempre molto onorato, & obligato à V. S. queſto hà grand.ma chieſta, e giornalmente ſe ne fanno copie manuſcritte, non ſi trouando piu niſſuno di quelli, che gia feci ſtampare io, ſi come non ſi trouan piu niſſuna altera dell' opere mie ſtampate: e ſe il S. *Elzeuiro* le ſtamperà tutte in un ſol volume, comme mi pare che habbia intenzione, ſpero che il ſuo utile non ſarebbe minore del

re del mio onore: egli porterà ſeco per ſtamparlo un altro mio dialogo contenente due nuoue ſcienze intorno al moto, e intorno alle reſiſtenze de i ſolidi all' eſſere ſpezzati, & inſieme alcune altre coſe Geometriche: lequali compoſizioni ſone la ricolta piu ſtimata da me degli ſtudii di tutta la mia vita. Quando io ſia uſcito di queſta impreſa, voglio (ſe mi auanzera vita) andar mettendo per ordine una mano di problemi naturali, & matematici, che ſpero ſaranno aſſai curioſi per la nouità delle contemplazioni. Jo S. *Mat.a* vorrei poter riſtringuere in breue compendio il molto, che harei in animo di dire à V. M. S. I. per rappreſentargli, quanto io ſon conoſcitore de gl' obblichi infiniti,

ti, che gli tengo, e quali e quanti ſiano le grazie, che io gle ne rendo , e quanta ſia la prontezza in me di ſeruir la in tutto quello, doue le mie deboli forze arriuaſſero : la ſupplico a farne proua con l'onorarmi di ſuoi comandamenti da me con anſietà deſiderati, e qui con affetto cordialiſſimo la riueriſco

D.V.S.M.I.

Dalla villa d'Arcetri li 15.
di Luglio 1636.

Parat.mò & Oblig.mo Ser.re

GALILÆO GALILÆI.

Redd. 23. *Nouembr.* 1636.

Berneggerus GALILÆO.

CVnctationis meæ, quanquam non tam à negligentia quam reue-

à reuerentia profectæ, cum ſcilicet inclyti nominis tui majeſtate perculſus atq; tenuitatis meæ conſcius audaciam ad tantum virorum ſcribendi ſumere formido, grauis profecto pœna nunc mihi pendenda eſt, reſpondendi neceſſitate in illum temporis articulum uſq; dilata, quo minime omnium ſum ad ſcribendum idoneus. Jam inde uſque à ſuperioris Anni Calendis Octobribus acerrimis primo doloribus arthritidis, deinde cum hi deſiiſſent perpetua crurum debilitate aliisque ſymptomatibus animi corporisque proſtratæ vires Muſarum omni commercio excluſerunt, cum quibus necdum in gratiam ex integro redire licuit. Allatæ ſunt interim à longo pudendi mei ſilentii interuallo alte-

ræ tuæ literæ, illæ quidem ex naufragio nonnihil madore corruptæ nec lectu ſatis expeditæ, ceterum incredibilem ſpirantes humanitatem, qua virtute, vt inclyta Natio veſtra in aliis pleriſq;, ſic tu in ipſa Natione tua plurimum excellis: & quod caput eſt onuſtæ munere cryſtallorum teleſcopii tui acceptiſſimo. quo niſi pertinacia ſilentii tandem expugnetur, leui forte crimini ruſtici pudoris grauiſſimum ingrati animi ſcelus adjeciſſe videbor. Gratias itaque, quas muneris & per ſe magnum pretium, & ex dantis animo beneuolo majus adhuc redditum poſtulat, ago longe maximas, amplioribus acturus verbis, atque etiam de vſu nobiliſſimi Inſtrumenti, ſi permittis aliqua

quæ-

quæſiturus, vtprimum DEI & Medicorum adjutus ope valuero rectius. Interim mitto & *Schikardi* τοῦ μακαρίτου parentationem & pridem à me confectum indicem eorum locorum ſyſtematis in quibus conuertendis hæſitaui vel etiam erraui. Velim, niſi graue eſt, de ſingulis explices ſententiam tuam, vt ſaltem ſecunda editio, nam melioribus temporibus prodituram ſperare fas eſt, prodeat emendatior & *Galilæo* dignior. DEUS tibi, Diuine Senex, longam tranquillamque vitam largiatur, vt ſuperſtes ſis inimicis tuis, ſuperſtes calamitatibus publicis, quæ miſerabilem in modum tot per annos orbem noſtrum concutiunt lancinantque. V. $\frac{1}{11}$. Jan. 1637.

Jo. Saubertus M. BERNEGGERO.

TU vero, Vir Excellentiſſime, quæ tua eſt humanitas, ignotam hanc manum non male interpretaberis, ſcio. Vrget eàm Parens Adoleſcentis, τοῦ γραμματοφόρου mercator apud nos primarius, Famæ tuæ mecum amantiſſimus. Nimirum ſeriò is rogat, vt nomine ſuo & cum ſalute plurimâ, pararius ad te eſſe velim Filio, propius ad beneuolentiam tuam accedere geſtienti: Id quod breuiter quidem ſed affectu tamen prolixo expedire hîc me ſcias: etiam cum promiſſione animi gratiſſimi. de Noſtræ vrbis ſtatu non eſt nunc quod ſcribam, niſi vnum iſtud, tempeſtatē imminere nobis hinc

inde grauiſſimam : adeò quidem, vt, ſi centum euoces, Heraclitos, iis omnibus locuples hodie apud nos materia ſuppetat. At quid Heraclitos dico? Abrahamos volebam, qui nobiſcum pura & liquenti fide DEUM rogent, vt ſcænam malam clementer à ceruicibus noſtris depellat: in quo voto deſino. Cætera enim *Heugelius* noſter coram exponet. Tu, Vir Magne, toti Reipubl. literariæ feliciter ac diu vale! Dabam Norimbergæ ὡς τάχιστα poſtrid. Cal. Junii A. æræ Dionyſ. cIɔ Iɔc XXXIII.

Saubertus BERNEGGERO.

AMplius biennium eſt, cum cœpi te ſalutare, Vir Nobilis & Excellentiſſime, & quidem non

inuitum, ſi recte memini: Quod incitamento mihi interea fuit, vt & iſtas nunc adderem. Nec deeſt cauſa, quam pro inſigni tuo affectu erga ſtudioſos adoleſcentes, bene interpretaberis, ſcio. Viuit nobiſcum vidua Nobilis & maximè pia, mater τῦ γεραιμαλοφόρυ, FETZERI, Themidi apud vos litantis. Illius rogatu rogo, vt ne graueris, conſilio juuare juuenem, ſi forte eo indiguerit. Rem etiam gratiſſimam & matri & mihi: Qualem ob cauſam adhuc me profiteor obligatum, quod *Paulō Heugelio* omnia humanitatis officia tam facile quondam à T. Ampl. impetrauerim, etſi is ipſus occaſionem illam exoptatiſſimam non ſatis agnouerit. Nunc demum agnoſcit, vbi cæpit cum Phry-

Phrygibus ſapere. Rediit hac ſeptimana ad nos ex Belgio per multa rerum diſcrimina. Quæ ſit rerum noſtrarum facies, aliunde jam reſciuiſtis. Miſere habent omnia in vrbe, ſolo *Palladio* Religionis excepto. De Pace publica multi multa, ſed nondum certa referunt.&c. Finio ne in publica tua peccem. Valeat T. A. ἐπὶ μήκιστον. Dabam propere Noribergæ.a.d. Aprilis. A.C. 1635.

Saubertus BERNEGGERO.

DEnuo me impudentem, imò in occupationes tuas fere injurium admittas, quæſo, Vir Ampliſſime, cùm animus ſit, literarum breuitate expiare culpam. In

ſuperioribus meis, ante menſes aliquot datis, vehementer etiam atque etiam rogaui, vt *Fetzerum* noſtrum commendatum tibi haberes: Eas autem intercidiſſe & *Dilherrÿ* alias adjunctas, jam demum reſciuimus. Repeto igitur hic deſiderium meum, animo erga juuenem, Matremque ipſius optimam valde prolixo. Auxeris etiam beneficium illud, ſi vel tribus verbis de ejusdem ſtudiis certior per te fieri poſſim. *Heugelius*, de quo olim non minus ſollicitus fui, nuptias hac ſeptimana cum vidua Mercatoris celebrauit, ſatis vt ſperamus felices. Pace noſtra intuti hodieque ſumus & variis difficultatibus obnoxii: neque emergemus facile,

niſi

nisi quies reddita sit Germaniæ vniuersæ.

Interim & heu! fratres inter se prælia miscent.

Id quod dudum voluêre, qui commune exitium quærunt. Cæterum Viuit adhuc DEUS cujus clementiæ Te cum tota Domo meis committo precibus, atque adeo vale felicissime. Dab. propere. Dom. XXI. p. F. Trin. A. 1635.

Berneggerus SAUBERTO.

S.P.D.

REddidit mihi, Reuerende plurimum & excellentissime vir, humanissimas litteras *Fetzerus* noster, is ipse cujus de moribus & studiis

ſtudiis ex me cognoſcere deſideras. Quæ res hoc mihi gratior accidit, quod & fouendæ veteris in me beneuolentiæ tuæ (quam diuturno ſilentio nihíl paſſam detrimenti gaudeo) & læto vos nuntio, quod tamen aliunde pridem accipere potuiſtis, exhilarandi, præbita mihi ſic eſſet occaſio. Bene profecto facit optima mater, quod in ſuum illum inquirit, gnara temporum, gnara fortaſſis etiam exemplorum veſtratium. Vt ingenii felicitate Norici cenſentur alios antecellere: ſic in tam fertili agro pluſquam in ſterilioribus aliis Zízaniorũ inueniri, mirandum non eſt. Sed meo nomine meaq; fide jubeas velim ipſam eſſe de ſuo ſecuram. Poteſt vel
hoc

hoc vnum ad ſollicitudinem eximendam ſufficere, quod D. *Bitſchius* eum ſuo contubernio dignum cenſuit, cujus viri Sanctiſſimi penates neminem malum admittunt, aut admiſſum ferunt. Non omiſi tamen, quandò ſic voluiſti, de veſtro illo quærere obiter ex ipſo hoſpite, & per meos, etiam ex domeſticis ejus. qui omnes honeſtiſſimum egregiæ pietatis, probitatis, modeſtiæ, in ſtudiis quoque ſummæ diligentiæ teſtimonium ipſi exhibent. Ceterum de publico ſtatu noſtro nec ſcribere tutum ſatis eſt: & alioquin etiam à talibus vel cogitandis nedum ſcribentis abhorret animus. Vale, Virorum egregie, & me porrò, quod facis, beneuolentia complectere. 29. Nouemb. 1635.

F I N I S.





